



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De symbolo VIII. dies ante Pascha publicè in omnibus Ecclesiis recitando.
xxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris
& filii, & spiritus sancti.

Quod in baptismo, & in confirmatione, si necesse fuerit, vnus patrinus possit esse. Cap. XXIII.

Ex decr. Ygini pape, ca. 10. **I**N catechumeno, & in baptismo, & in confirmatione vnus pater potest fieri, si necessitas cogit: non est tamen consuetudo Romana, sed per singula singuli suscipiunt.

Vt vnus patrinus, vel patrina ad suscipiendum infantem accedat. Cap. XXV.

Ex decr. Leonis pape apud S. Medardum. **V**T non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam vnus, siue vir, siue mulier. In confirmationibus quoque id ipsum fiat.

Vt ille qui non est baptizatus, vel confirmatus, a baptismo nullum recipiat. Cap. XXVI.

Ex concil. Mogunt. cap. 2. **I**N baptismo vel in chrismate non potest alium suscipere in filiū ipse qui non est baptizatus, vel confirmatus.

Vt nullus patrinus fiat, nisi recte credat. Cap. XXVII.

Ex concil. Parisiensi, cap. 2. **V**T nemo a sacro fonte aliquem suscipiat, nisi Orationem dominicam & Symbolum, iuxta suam linguam & intellectum teneat, & coram presbytero decantet, & intelligant omnes pactum, quod cum Deo pepigerunt.

Vt presbyteri a patrinis requirant, si Symbolum teneant. Cap. XXVIII.

Ex concil. Vvomar. cien. 4. cap. 1. **A**nnuncient presbyteri, vt neque viri, neque foeminae a sacro fonte filiolos, vel filiolas suscipiant, nisi memoriter Symbolum, & Orationem dominicam tenuerint.

De Symbolo octo dies ante Pascha publice in omnibus Ecclesiis recitando. Cap. XXIX.

Ex concil. Agathensi, cap. 1. **S**ymbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis vnicuique id est, octo dies ante dominicam resurrectionem, publice in Ecclesia competentibus tradi.

De gentilibus infirmis, si baptismum desiderat. Caput XXX.

Ex eodem concilio, cap. 3. **G**entiles, si in infirmitate desiderauerint sibi manum imponi, si fuerint ex aliqua parte honesta vita placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.

De grauidis baptizanda. Cap. XXXI.

Ex concil. Neocasa. cap. 6. **G**rauidam oportet baptizari, quando voluerit. Nam Genim in hoc quæ parit nasceti comunicat, propterea quod vniuscuiusque propositum in confessione declaratum.